



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Formularium Episcopale

Barbosa, Agostinho

Coloniae Agrippinae, 1680

Formula XLVII. Pro Medico & Chirurgo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10456**

sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. Dare autem Episcopus, vel superior licentiam debet in casibus necessariis: quare in his licentis concedendis sequentibus formulis uti poterit.

## FORMULA XLVI.

*Pro Confessore ministratura Sacramenta.*

*Vide quæ habes sub formula XXVI. usque ad XXIX.*

## FORMULA XLVII.

*Pro Medico & Chirurgo.*

**T**ibi N. Medico licentiam concedimus ad annum duraturam, ut juramento prius præstito septa Monasteriorum Monialium sanctorum N. & N. ingredi possis, ad curandum infirmitatem earum, quæ in infirmaria communi in lecto, vel ubi ea non fuerit, in propria camera, in lecto jacent, nec ad crates se transferre possunt, jurejurando te obstringentes, ut omni honestate servatâ, non ingeras te in alias ullas res, nec cum aliis Monialibus, aut domicellis in monasterio manentibus loquaris, sed rectâ viâ eundo, & redeundo comitatus semper duabus gravioribus Monialibus ad id ab Abbatisa deputatis, præcedenteque semper ad tui ingressum campanulæ signo, & non nisi post ortum solis ingrediaris, & ante occasum eas, sub pœnis si contrafeceris &c. In quorum fidem &c. Dat. &c.

## FORMULA XLVIII.

*Pro Operariis, Fabris, bajulis, aliisque auxiliariis, & artificibus.*

**T**ibi N. fabro lignario, seu bajulo aut camentario sive... licentiam concedimus, ut juramento prius præstito clausuram monasterii S. N. ingredi possis, sociatus ad minus duabus Monialibus ex antiquioribus ab Abbatisa deputatis, atque in eo opere tuam per dies... præstare, quam quantocius perficere curabis, nec ad alia loca monasterii accedes, neque aliis te rebus, aut colloquiis ullo pacto immiscebis, tractando tantum cum Abbatisa, aut aliis deputatis ad illud opus, ita ut ante ortum solis non ingrediaris, & ante occasum semper ex eas, servesque in omnibus præstitum in manibus nostris juramentum, sub pœnis &c. In quorum fidem &c. Dat. &c.

## FORMULA XLIX.

*Pro villicis & Colonis.*

**T**ibi N. villico Monasterii S. N. licentiam dâmus, ut quando res ad agros, & officium tuum pertinentes ad crates in allocutorio publico expedire non poteris, & frumenta, vinum, aut alia omnino necessaria intra clausuram

erunt